
DE MEDICI SECRETO CIRCA VITIA MATRIMONII REDHIBITORIA AD CONVENTUM...

Giovanni De Gioannis Gianquinto









DE MEDICI SECRETO

CIRCA

VITIA MATRIMONII REDHIBITORIA

AD CONVENTUM FLORENTINUM

DISSERTATIO JURIDICA

PER

JOHANNEM DE GIOANNIS GIANQUINTO

DE MEDICI SECRETO

CIRCA

VITIA MATRIMONII REDHIBITORIA

AD CONVENTUM FLORENTINUM

DISSERTATIO JURIDICA

PER

JOHANNEM DE GIOANNIS GIANQUINTO

« La noble profession de médecin restera ce qu'elle a toujours été: une des plus belles, des plus utiles et des plus honorables quand elle est honorablement exercée »

DUPIN, Conclus. CCXVII.





PISIS

EX TYPOGRAPHEO NISTRIANO

MDCCCLXIX

FRANCISCO PUCCINOTTO

REGNI ITALICI SENATORI EMERITO

EQUITI TORQUATO MAURITIANO

EQUITI ORDINIS MERITI CIVILIS SABAUDIENSIS

NEC NON

ORDINUM HETRUSCORUM STEPHANIANI ET JOSEPHIANI OB MERITA

IAM

MEDICINAE CIVILIS, DEIN CLINICES,

ET HISTORIAE MEDICINAE PROFESSORI EXIMIO

IN LYCEO MAGNO PISANO

POSTREMO

INTER DOCTORES INSTITUTI FLORENTINI COOPTATO

JOHANNES DE GIOANNIS GIANQUINTO

S. D.

Dum novum in lucem edo libellum, nondum, subvereor, arida pumice expolitum, eum tibi jure merito dono atque devoveo, Vir praestantissime, cujus nomen plus uno manebit perenne saeculo. Ausus sum ipse salebrosam, gravissimamque quaestionem Medicinae civilis hactenus magna animorum contentione disceptatam tribus explicare chartis. Sane onus Ætna gravius mihi sustinuisse videor: neque enim is ego eram, qui id mihi adsumerem ut, picta velut

in tabula, doctrinae copia, oratione nervis colligata, elegantibus verbis exornata, latina numerorum concinnitate grata delinearem, vel maxime perspecte extricarem arduam aleaeque plenam forensis medicinae quaestionem, ad quam vix extremum digitum intendi, eamque, ut ajunt, primoribus labris gustavi. Et operam forte lusissem omnem, ac mihi vel herculeus frustra exantlandus fuisset labor, ni proposita disputatio cum legum scientia, prudentiaque juris arctis-

simo fuisset nexu devincta, nec pro re nata tot uberes doctrinae fructus ex tuis libris cepissem, qui tanto studio domi forisque perleguntur, sapientumque sermone ubique celebrantur, ut nulla temporis diuturnitate obliterari posse videantur. Quod si tibi uni placuero, omne operae pretium ex dulci Academiae otio me tulisse arbitrabor.

Levidense hoc interim munusculum, praeclarissime Vir, benevolo excipias animo rogo tamquam solemne observan-

tiae in te meae argumentum, et velut carissimum amoris pignus, quod ex veteri Romanorum formula tibi dat, dicit, addicit *pessimus omnium jureconsultus, et, ut Catulli* (1) *verbis utar, tanto pessimus omnium jureconsultus, quanto tu optimus omnium Medicus forensis. Vale, Amplissime Vir, et scientiae decori, Italiaeque nostrae ornamento diu vive superstes!* (2)

Pisarum, III Kalendas Novembris MDCCCLXIX.

---

(1) C. Valerii *Catulli Veronensis Carmina* XXIX, 5

(2) Vid. ult. pag.

EPISTOLA

AD

CONVENTUM MEDICORUM

CONVENTUM FLORENTINUM

MEDICORUM EX ORBE UNIVERSO

ANNI MDCCCLXIX

JOHANNES DE GIOANNIS GIANQUINTO

VENERABUNDUS

SALUTAT

Post Galliam Italia nostra jam laeta excipit ex gentibus universis sapientissimum Medicorum conventum! Liceat et mihi gloriari de amplissimo honore Italicae Genti decreto! Liceat tot praestantissimis viris ex omni terrarum orbe in hanc principem civitatem convenientibus reverenter dicere salutem! Liceat demum mihi summopere laetari de in-

signi hac sede hospitali, totoque animo gratulari splendidissimae Civitati Florentinae, quam equidem dicam novas Italiae Athenas, bonarum artium, litterarumque inventrices et altrices.

At vero coram amplissimo Conventu, qui ad potissimos artis salutis humanae praesidis progressus toto pectore incumbit, an boni Collegae officio inani salutatione defungar? Oportet profecto studia in medium invicem afferre mutatione notionum, ac veluti doctrinae tributum litterariae Reipublicae pendere, tum dando, accipiendo ex locuplete penu (absit verbo invidia), scientiarum progressum fovere atque ciere, sapientumque inter se devincire hominum societatem. Forte me, ceu jurisconsultum licet paupertinum, sentiam profanum

vulgus Medicorum scholis? Ast ecquis ignorat scientias omnes, tum ingenuas artes, quae ad humanitatem pertinent, cognatione quadam, ut Tullius ait, inter se contineri? Vos probe nostis tantum abesse ut Medicina atque Jurisprudentia quodam veluti divortio dissocientur, quin imo arctissimo inter se nexu devinciantur. Vel ipsos recordari juverit Romanos Prudentes, quorum de jure responsis aeternus stabit honos: ii enim suas de re medica forensi sententias solemni formula obsignare consueverant, *propter auctoritatem doctissimi Hippocratis*. Adeo jure merito asseruisse mihi semper visus est Tiraquellus, veterum Galliae jurisperitorum decus et lumen, suaeque aetatis cognomento Varro: Legum scientia, inquit, atque Medicina

sunt veluti quadam cognatione conjunctae, ut qui jurisperitus est idem quoque sit medicus. Atque hujusce profecto cognationis vel maxime meminisse oportet jureconsultos nostris hisce temporibus, quibus apud quosdam sapientes viros in dies ingravescere studium videtur de restituenda artis medicae dignitate, ac vindicandis prae Codicibus legum cultiorum gentium Medicorum juribus, hactenus fere despectis hominum injuria, temporumve pene obsoletis inveterata barbarie.

Haec mecum ipse animo reputabam quum manum admoverem ad conscribendum tractatum *De Secreto Medico*, quem duobus abhinc annis misi ad Conventum Medicorum Parisiensem, quem hisce verbis in epistola nuncupa-

pationis praefabar: „ Docteur en droit d'une Faculté Italienne, j'aime a pouvoir saluer réunis les représentans de toutes les Universités du Monde. Le spectacle imposant, auquel une Nation que j'aime et que j'admire, a convié l'Industrie et la Science, m'a ému et tenté. C'est une révolution pacifique, qui s'opère au profit de la solidarité des Peuples; c'est la fête du progrès général, c'est celle de l'humanité! J'ai voulu lui apporter mon tribut et j'ai demandé à Cujas le droit de serrer la main à Esculape „. Hosce animi mei sensus ante symposium Vestrum vel hodie libentissime testor; veniamque a summo Cujacio iterum peto liceat mihi Æsculapii dexterae meam jungere dextram.

Interea excipite, quaeso, pro munusculo dissertationem istam, quam horis subsecivis, inter tot alia juris studia, forique negotia carptim exaravi; hasque pagellas Vos aequi bonique facite tanquam solemne obsequentis animi testimonium. Salebrosam planeque arduam quaestionem expendere aggredior, quae jam inter hodiernas Medicinae forensis disputationes celebris est, *De Medici Secreto circa vitia matrimonii redhibitoria.* Malui de hoc singulari argumento disceptare, quam universum evolvere tractatum de medicae professionis Secreto, de quo cum longe lateque scripserim in libro, quem ad Conventum Parisiensem misi, si illum, resumpto calamo, recepissem actum agere visus essem, vel, ut ajunt, Peliam recoquere. Caeterum parcite,

jam quaeso, Clarissimi Viri, parcite Italico scriptori qui latina lingua libellum hunc exaravit; arguta quidem et perpolita gallorum lingua valde delector; sed affectui fere domestico concedite, si dum matris meae lingua, programmatis lege, uti non licuit, aviae lingua conscripserim.

Atque interim dum auspicato munusculum hoc Vobis dedico ac veluti sacratum devoveo, solemnia toto pectore nuncupo vota, ut Deus Vos diu sospitet ad scientiae incrementum, ad progressum studiorum, ad humanitatis solatium. Valete.

Scribebam Pisis die 15 septembris 1869

Juris Doctor
JOHANNES DE GIOANNIS GIANQUINTO
in Pisarum Athenaeo Juris publici administrativi
Professor Ordinarius

DE MEDICI SECRETO

CIRCA VITIA MATRIMONII REDHIBITORIA

DISSERTATIO

Celeberrima agitatur quaestio apud hodiernas Medicorum scholas, et praecipue in Gallia, an Medicus teneatur servare secretum circa vitia matrimonii redhibitoria, quibus afficitur ejus cliens, qui nuptias iniro intendit. Magnis etiam animis controversia haec disceptatur inter jureconsultos in commentariis ad art. 587 Codicis poenalis Ital., quo sub poena carceris aliisque interdictionibus medicis, chirurgis, pharmacopolis, etc. vetitum est revelare secreta, quae ipsis commissa sunt ratione ministerii et officii, quod exercent. Quamvis summo, ut ajunt, digito quaestionem hanc attigerimus in nostro tractatu *De Medico Secreto*, ceu alteram non inelegantem

tractationis partem, nihilo tamen minus operae pretium esse ducimus eam ampliori calamo heic pertractare et evolvere: quippe quae magni intersit non modo ad honorem artis medicae, verum etiam ad bonum reipublicae, prosperitatemque civilis societatis.

Constanti rerum experientia comperta sunt tristissima mala, quae oriuntur ex nuptiis inter eos contractis, qui afficiuntur vitiis, morbisve praesertim ingenitis, vel, ut ajunt, haereditariis, veluti sunt *epilepsia, aut morbus comitialis vel sonticus, mentis alienatio, serpigines, lues gallica, tubercula,* aliaque id genus. Gravissima profecto damna promanant ex iis conjugiis, vel respectu conjugis, aut prolis inde nasciturae. Hinc facile intelligitur magni momenti ratio, quae sponsos, consanguineos, vel maxime eorum parentes impellit ad detegenda illa vitia; et vel potissimum urget suprema universae societatis utilitas, ne populi multitudo tot miseris hominibus augeatur, qui non tam ad vitae auras adgnasci, quam a cunis ad sepulcrum praecipites ruere videntur. Non si ha egli diritto, diceret Filangerius noster, d'impedire le stragi di un veleno distruttore della fecondità, della virilità, della vita, di un veleno, che, dopo essere stato spesso la pena del delitto, diviene anche la rovina del-

l'innocenza; di un veleno finalmente, che non risparmiando la posterità istessa di colui, che lo ha intromesso nel suo sangue, fa nascere una razza degenerata, imbastardita, snervata, priva di virilità sovente, monumento della depravazione o della disgrazia d' uno de' suoi autori?

Ad tot mala penitus removenda, moris est, planiori ac tutiori via, ad medici familiaris consilium confugere. Tunc sane artis professor in maximum discrimen adducitur: ipse tunc forte trepidans titubare potest inter severitatem officii secreti medicae professionis, et sanctitatem officii socialis et vel maxime christiani, depellendi perniciem ab homine, et a futura progenie miseriam. Saepenumero contingit solemnem medico fieri sponsionem secreti inviolabiter servandi: ast vero tristissima rerum experientia noto notius est sponsiones illas serius perfidiose violari, nec raro ipsorum sponsorum cognatos contra interpositam fidem secreta pervulgare. Exinde Medici fortuna valde anceps, gravissimumque discrimen, si ob secreti revelationem matrimonium fuerit impeditum, propter tacitas occultasque inimicitias, quae mox in acerrimum odium adversus Medicum incenduntur ulciscendi tempus observantes. Sat erit

memorasse cum lacrymis miserandam illustris Delpechi caedem (1)! Verum enimvero non ex hoc capite tot physicorum malorum medici consequentium nobis propositum est expendere et dirimere controversiam; bene quidem ope judicii, ut loqui amant, *a priori*, videlicet ex summis altissimisque subjectae materiae principiis petiti, ad juris morumque philosophiam assurgendo quatenus ea naturae Medicae professionis accomodatur, omni interim boni vel mali subsequentis investigatione seposita.

In disputatione itaque positum est an Medicus possit, salvis et integris suae professionis officiis, pandere sponsis, eorumve cognatis vitia

---

(1) Haec horrenda caedes nuper commissa est in Gallia. Delpechius, clarissimus medicinae professor in studio Montis Pessulani (*Montpellier*) olim monuit quemdam amicum sibi charissimum, suae filiae sponsum monorchidem esse propter atrophiam passam post curationem varicocelis. Pater sponso repudium renuntiari jussit. Hic adolescens, cognita repudii causa, ad theatrales foros nocte se confert ad spectaculum Delpechii, a quo sensim sciscitatur quidnam rerum crastino die suscepturus esset. Insidiose se abdit in via perperam directo igneae balistae ictu Delpechii aurigam occidit, mox alio ictu Delpechium interimit, qui misere rei caput per terram pertrahens, adhuc haerec to orpore rhoda, quae huc illuc fertur exterritis equis. Paullo post se se interimit homicida. Adeo amor et ultio tot caedes peperere. V. *Journal des connaissances médicales et pharmaceutiques*, Paris, 10 decembre 1864 n.° 34.

atque morbos, quibus sponsus alter laborat, quaeque ipse agnovit ceu cubicularis aut familiae Medicus. Quae disputatio hunc exitum habet ut sciamus quem tramitem modumve tenere Medicus debeat consultus de clientis salute occasione nuptiarum, vel, ut ajunt, de vitiis matrimonii redhibitoriis.

Quaestio hoc pacto posita non est profecto nova aut inaudita. Nec sane antiquiori Medicinae forensis aevo ignota fuit. Enimvero comperimus Paulum Zacchiam, immortalem nostrum juridicae Medicinae conditorem, hanc ipsam prospexisse quaestionem. Sed dubitari hic potest, inquit, an si Medicus requiratur in aliquibus casibus ad detegendam veritatem, quae celata in praejudicium requirentis, aut alterius personae redundaret, teneatur contra hoc jusjurandum (de secreto) facere . . . . Dabo autem in hac re exemplum. Vir sit, qui uxorem ducere velit, a *Medico, qui mulieri, quam in uxorem petit, medetur, exquirit,* an morbo aliquo et praecipue contagioso laboret; postulat item alter in religionem aliquam recipi, et *superior Medicum consulit, an hic tali morbo laboret,* qui ingressum religionis illi impedire possit, et sic in caeteris, in quibus omnibus casibus Medicus aut secreta sibi commissa detegere, aut

celare cum alterius praejudicio cogitur (¹). Ast vero Romanus Archiater quaestionem insolutam in medio reliquit se se referens ad Canonistarum sententiam. *Sed hujus quaestionis decisio non ad nos, sed ad Canonistas pertinet.* Sane ingenii nostri tarditatem fatebimur: sed plane intelligere nullo pacto possumus quo jure, quave ratione id Summus Vir adfirmarit: neque enim justum putamus oporteat jureconsultos, atque medicos forenses a Canonistarum scholis solutionem excipere quaestionis, quae non minus poenalis jurisprudentiae interest quam Medicinae legalis, quippe quae ad alterum respiciat ex sanctioribus artis medicae officiis. Admodum tunc temporis altis erat radicibus defixa animis opinio, vel potissimum in Romana Curia, ut quaecumque quaestio ad matrimonium quoquomodo referretur, canonum ecclesiasticorum imperio subjugaretur!

Compertum quoque est eamdem quaestionem propositam fuisse atque solutam, inter alios veteris scholae rei medicae scriptores, a Johanne Bobnio, ineunte decimoctavo saeculo, claro admodum professore in studiorum Universitate

(¹) *Quaestiones Medico-Legales*, tom. I, lib. VI, tit. I, Quaest. III, n.° 3.

Lipsiensi. Casus omnes, ipse scripsit, ac singulos silentii medici moderandi ac declinandi vix recensere datur; disquiret et determinabit eosdem cujuslibet conscientiae ac prudentiae dictamen, si per hunc morbi secreti non in publicum divulgentur, non cuivis ardelioni, sed his tantum, quorum interest, scilicet magistratui, aut qui sub proximiore cohabitatione a contagio minus tutus, aut cum inhabili, impotente, demente, epileptico matrimonium tentaret, manifestentur: et quidem privatis sub sigillo demum silentii naturali, neque vitium absconditum semper exacte et specialius, sed sub generalioribus et plus minus ambiguis aliquando terminis, seu suspicionis tantum rationem aliquam innuendo. Quorsum etiam spectat, ut subjectum morbosum potius, v. g. impotens, lue gallica affectum, dehortemur a conjugio adeundo non alterum seu sanum; sicque indirecte damnum ex eo metuendum avertamus, charitatem vero Christianorum utrique praestemus [1].

Nostris hisce temporibus, praesertim apud

---

[1] JOHANNIS BOHN, Prof. Lips. *De officio Medici duplici, Clinici ac Forensis*, Lipsiae 1704 Cf. cap. 4, pag. 95. V. CODRONCHIO *De Christ. med. ratione*, lib. 1, cap. 38; SYLVATICO, *De medico*, cap. 8, VALERIOLA, *Enarrat. Med.* VI, 5.

Gallos, ea quaestio fuit in disceptationem dudum revocata, magnoque ingenio multaque doctrina discussa. Sapientissima Parisiensis Medica Societas (*Société Médicale*) usque ab anno 1862 hujusce problematis studio maxima cura incubuit; atque in vulgus editas vidimus doctissimas Relationes illustrium Medicorum ad peculiares Societates regionum Parisiensium, quibus contrarias in partes lis dirempta fuit.

Perillustris Medicus Sabaudiensis, B. L. Caffe, doctus antiquus Clinicus apud Hospitale Parisiense (*Hôtel-Dieu*), sua insigni Relatione ad Medicam octavae illius urbis regionis Societatem in conventu 1 diei decembris 1862 absolutum secreti officium strenue propugnavit. Ipse referens ad Societatem decernendum proposuit oportere familiae Medicum omnino secretum tenere, nec eum ullo modo abdita pandere posse circa sui clientis salutem occasione matrimonii. Tribus autem argumentis praecipuis suam sententiam suffulsit: I. solemni Hippocratis juramento, quod usque adhuc in studio Montis Pessulani praestatur dum quis doctrinae insignibus ornatur: II. mente atque sententia art. 378 Cod. Poen., quo sancita est secreti medici obbligatio, admodum necessaria ad societatis conservationem, ad artis salutaris decus, ad honorem sauc-

titatemque Medicae professionis; III. denique thesim firmavit eo quod alia media suppetant, quibus impediendi matrimonii finis absque violatione secreti consequi possit. Inter haec media duo ipse recensuit. Prius in eo positum quod medicus debeat suum ipse clientem admonere vitio redhibitorio laborantem, eum de peculiaribus sui status adjunctis edocere, accuratissime monere de pernicioso sui propositi exitu, ipsumque denique dehortari a nuptiis ineundis, quae infelicissimos conjuges redderent, futuramque progeniem. Alterum, quod in promptu esset, Caffe consilio, remedium, in eo positum foret ut ad Medicorum consultationem provocaretur, a qua cubicularis medicus excluderetur: extranei Medici in consilium vocati tenerentur plenam edicere veritatem: ipsimet eodem fere munero fungerentur, quod medicis incumbit tamquam expertis *(periti)* ad Tribunal accitis, vel medicis apud Comitatus seu Societates securitatum *(Società d' assicurazioni)* de hominis vita qui varias definiunt classes plus minusve longae vitae, quibus locari debeant novi cautionis stipulatores, *(nuovi assicurati)* eodem quoque munere, quod jure impositum est Medicis militaribus aut civilibus *Consiliorum revisionis*, qui interrogant, et diligentisssime scrutantur

et milites excutiunt collectos, eosque idoneos vel inhabiles ad militiae cingulum declarant, reddita consilii ratione ad medicae scientiae dictamina (¹).

(¹) Hoic liceat referre verba Doct. Coffe, quae sane impensum legumlatorum et virorum doctorum studium promerentur « Sur la conduite à suivre par les médecins consultés sur la santé d'un client à l'occasion d'un mariage. — Rapport fait à la Société Médicale du VIII arrondissement de Paris par M. Coffe, à la mairie dudit arrondissement (Séance du 1 décembre 1883) — Mes chers collègues, Vous m'avez chargé de vous faire un rapport sur la conduite à suivre par les médecins consultés sur la santé d'un client à l'occasion d'un mariage. Je m'acquitte avec d'autant plus d'empressement de cette grave mission, que j'y suis, pour ainsi dire, préparé, puisque déjà vous avez bien voulu écouter, ici cette année même, et approuver de la compétente et précieuse unanimité de vos suffrages, un rapport qui a la plus grande analogie avec la question actuellement pendante; il s'agissait aussi de déontologie médicale de la conduite des medecins vis-a-vis des compagnies d'assurances sur la vie et de la manière dont ces Sociétés se comportaient à l'égard des médecins. Le sans-façon de ces Compagnies d'assurance, qui était devenu la règle, grâce à vos énergiques remontrances, sanctionnés par votre vote, disparait complètement. Le médecin s'est retranché derrière la loi, qui le protége et le met à l'abri de toutes les séductions ourdies contre sa conscience. Cependant, les Societes d'assurance elles-mêmes ne sont point lésées dans leurs intérêts, elles opérent sur un certificat délivré par le medecin choisi et délégué par la Compagnie; le confrère fonctionnaire, se récuse à son tour lorsque, par ces cas exceptionnels, vient à se présenter à son examen un de ses clients directs

Aujourd'hui la question qui vous est soumise est limitée à un seul aspect « Quelle conduite doit tenir le medecin consulté à l'occasion d'un mariage d'un de ses clients? » La Société médicale

Hoc nobilissimum officium existimat Caffe fore medicis implendum, quod voti compotes reddat familias de sua felicitate sollicitas, suorumque heredum sanitate, bonaque valetudine;

---

du 9e arrondissement, par l'organe de son savant rapporteur, l'honorable docteur Pegoy a pris une heureuse initiative, elle a déjà discuté, délibéré et conclu bien assise dans sa conviction, elle vient vous demander de la partager avec elle et d'ajouter ainsi, dans un commun intérêt professionnel la force de votre jugement collectif elle a grandement raison. l'union fait la force. — Les corps constitués, les associations, comme les individus, sont toujours respectés quand'ils opposent à la tourbe qui les méconnait souvent qui les blâme parfois, la cohesion de principes fondés en droit et en morale, c'est dans l'espèce la condition formelle du corps Médical, dont la conscience est toujours éclairée. — Le luxe, devenu chose si nécessaire, les exigences démesurées de nos besoins domestiques, qui s'accroissent chaque jour, la rareté des mariages par entraînement de sympathies ou de passions, l'âge mûr, c'est-à dire une position sociale obtenue pour contracter le lien conjugal, etc. etc La rareté des relations de famille, qui ne se connaissent pas, qui s'ignorent même jusqu'à l'heure où s'improvise un mariage en France du moins, car, dans la plupart des autres pays, des fiançailles ou promesses de mariage existant toujours. Quelquefois, plusieurs années avant de le conclure, les futurs peuvent se connaître et s'etudier, la question de dot ou d'argent n'est pas la seule appréciée la seule prédominante. Tous ces motifs et tant d'autres que je ne puis ou ne veux vous énumérer font, vous n'en doutez pas, que la question d'argent est débattue et réglée par anticipation, et que le notaire ou l'agent matrimonial qui en tient lieu, sont consultés dans un mariage longtemps avant le médecin Ce n'est même que, lorsque tout est pour ainsi dire terminé, que par un espèce d'acquit de conscience, de légers remords du lendemain, que des grands parents se ravisent et tentent demander au

et eximius Clinicus sibi pollicetur fore ut ingens amentium, siphiliticorum, strumosorum, epilepticorum, aliorumque infirmorum numerus minuatur, quibus in Gallia exundant familiae adeo

---

médecin ce qu'il passe ou mieux ce qu'il sait sur les vices rédhibitoires de la famille d'un des conjoints. Nous savons tous, notre expérience de chaque jour nous en fournit la surabondante démonstration, combien est malheureusement nombreuse la série presque inépuisable des vices congénitaux acquis et héréditaires dont tant de familles sont entachées... On conçoit de suite l'importance et la gravité d'une révélation dans l'espèce, aussi est-elle demandée au médecin sous le sceau du secret que l'on lui déclare toujours inviolable; mais n'oubliez jamais que cette promesse de secret n'est qu'un mensonge anticipé que commettront plus tard les parents, les époux eux-mêmes, car notez bien que le mariage était trop avancé pour se rompre. Mais si par hasard les révélations médicales devenaient un obstacle et que le fait fût prouvé, une inimitié implacable pourrait s'en suivre, qui se traduirait par de l'haine et de la vengeance... Sans que le médecin ait à redouter de pareilles catastrophes, il doit se souvenir du serment d'Hippocrate qui se prête encore à la Faculté de Montpellier en acquérant le grade de docteur: « Admis dans l'intérieur des familles, je jure que mes yeux ne verront point ce qui s'y passe et que ma langue taira les secrets qui me seraient confiés.... S'il oubliait le serment d'Hippocrate, *des oreilles ouvertes*, il faut lui rappeler l'art. 378 du Code Pénal, ainsi conçu: « Les médecins, chirurgiens, et autres officiers de santé, ainsi que les pharmaciens, les sages-femmes et toutes autres personnes dépositaires par état, ou par profession, des secrets, qu'on leur confie, qui, hors le cas où la loi les oblige à se porter dénonciateurs, auront révélé ces secrets, seront punis d'un emprisonnement d'un mois à six mois et d'une amende de 100 fr. à 500. — *Le consentement de la personne intéressée ne délie même pas* le médecin, qui reste sous l'obligation absolue du secret, parceque cette obli-

ut in quibusdam Provinciis tres conscriptorum militum partes dimittere oporteat ut unus validus reperiatur : quas omnes calamitates ex tot illorum infirmorum nuptiis profluere tam notum est quam quod notissimum.

gation a été établie dans un intérêt général et que la violation du secret blesse la société entière parceque, elle enlève à des professions, sur lesquelles cette société s'appuie, la confiance qui doit les environner; ainsi jugé par la Cour de Montpellier, le 27 septembre 1827, et par celle de Grenoble, le 23 août 1828. J'accorde un instant que le médecin ne puisse tomber sous le coup de l'action correctionnelle, par absence des preuves, qu'il y aurait eu intention criminelle, mais alors il n'échappera pas toujours à l'action civile dirigée par le client, par la partie lésée dans ses intérêts, dans ses espérances alors s'élèveront des questions délicates et douteuses sur le mobile du médecin, qui sera poursuivi conformément aux articles 1382 et 1383 du Code Napoléon, qui prescrivent la réparation du dommage causé, même par imprudence ou par négligence. Lorsque votre client, sous la pression accentuée de sa famille adventice, vient vous prier de dire ce que vous savez sur ses précédents, et ce que vous pensez de sa santé actuelle ou dans l'avenir, et ce que vous prévoyez de sa progéniture, soyez bien convaincu qu'il ne vous laisserait pas une telle latitude, s'il redoutait quelque fâcheuse ou nuisible révélation, il espère bien que, comme médecin et ami, ainsi qu'il vous qualifie, vous ne direz, vous n'apprendrez rien qui puisse lui porter préjudice et détruire ses espérances c'est tout simplement une dissimulation qu'il veut de vous, il ne vous pardonnera jamais une vérité offensante, racontant à des tiers ses infirmités congénitales ou acquises. Vous n'avez donc, dans aucun cas, à accepter un compromis de cette nature. Vous devez vous renfermer dans un mutisme absolu, soit pour proclamer la validité, soit pour laisser soupçonner l'invalidité de votre client. Votre silence, votre refus de répondre ne sera point interprété au détriment de votre client, comme on la répété, comme on cherche

Clarissimus doctor Piogey in eamdem Caffe sententiam ivit in relatione admodum erudita ad Medicam Societatem nonae regionis Parisiensis. Horum porro medicorum propositae sententiae

---

à vous le faire craindre, quand vous pourrez dire que tous nos confrères en agissant ainsi et que nous avons pris à cet égard un engagement collectif et d'honneur, et c'est là un des buts essentiels de ce rapport que vous m'avez demandé. — Ces confidences, tantôt reçues tantôt provoquées, ne sont pas seulement dangereuses, mais elles sont toujours à titre purement gratuit, et onéreux pour le temps du médecin, temps qui constitue sa vigne et son champ. On ne pourrait même décemment, dans tous ces cas, lui offrir des honoraires, et il ne pourrait non plus les accepter, par contre, le notaire qui instrumente et stipule l'acte de mariage prélève sur la dot, suivant ses règlements, un droit fixe et un droit proportionnel d'honoraires. Je ne parle pas de l'agent matrimonial, M. de Foy et compagnie qui perçoivent d'abord un à compte pour mise en rapport, frais éventuels, sans préjudice d'une prime convenue et réglée d'avance. Je n'invente rien, mes chers confrères; c'est uniquement l'histoire regrettable, mélodramatique d'un très grand nombre de mariages qui se contractent en France. N'allez pas croire cependant que le rôle du médecin reste neutre et sans utilité à l'occasion d'un mariage, jamais, au contraire, il ne saurait être plus important ni plus radicalement indispensable pour le bonheur des individus, pour la sécurité des familles, et pour la conservation des sociétés. En effet, le rôle du médecin, son devoir est d'éclairer son client sur les circonstances particulières à ce client, c'est ici rendre un service éminent, capable de prévenir souvent des conséquences funestes, en empêchant ce jeu de loterie, le pire de tous, des chances favorables n'étant reservées pour aucun, les deux conjoints devant y perdre quelquefois tous leurs rêves de félicité. — Reste enfin une dernière et noble mission à remplir par les médecins, celle qui doit combler les desirs et les

solemni illarum sapientum Societatum consilio fuere decretae. Ast vero doctor Casimirus Pinellus, asyli apud Neuillyense castrum pientis-

---

vœux des familles soucieuses, intelligentes, du bonheur de leurs membres, et de la santé de leurs héritiers. On peut et on doit provoquer une consultation de laquelle seront ordinairement exclus les médecins de la famille; dans l'espèce, pleine et entière liberté est laissée aux médecins consultants, ils ont de plus l'obligation formelle de dire toute la vérité, ils s'acquittent dès lors d'une fonction telle que celle qui incombe aux médecins appelés comme experts devant la justice, aux médecins des compagnies d'assurance sur la vie qui indiquent dans quelle catégorie, plus ou moins viable, on doit placer le nouvel assuré, aux médecins des conseils de révisions militaires et civils qui interrogent, examinent scrupuleusement chaque individu et le déclarent apte ou non au service, en motivant scientifiquement son avis. — C'est, je l'estime, offrir une solution satisfaisante pour le médecin comme pour les familles, aucune ne devrait se dispenser de ces démarches de ses utiles précautions, si la sagesse dominait les préoccupations financières ou encore les côtés de la vanité, quand il s'agit d'un des actes les plus graves de la vie et le seul indissoluble devant la loi religieuse et dont les lois civiles nous délient très-difficilement (exemple récent, cette femme qui n'a pu être séparée de son mari, forçat libéré), acte auquel la société demande avant tout, la perpétuité des races qui ne peuvent se conserver saines et vigoureuses que par la garantie que je viens d'indiquer, si simples et si faciles. L'État et les règlements militaires imposent à tous les citoyens, au moment de la conscription, la visite corporelle dans une nudité complète, en présence des membres du conseil de révision, et cependant il ne s'agit alors que de quelques milliers d'individus qui doivent endosser l'uniforme militaire et bénéficier d'une hygiène qui décuplera des forces improductives pour la conservation de l'espèce. Peut-être au

simus conditor, collacrymatus clinicus Hospitalis Montis Pessulani, nuper fato defunctus magno sane scientiae et humanitatis detrimento, Caffe

---

point de vue où je me place, faudrait-il souhaiter que l'armée ne reçut, dans ses rangs, que ceux qui montreraient des infirmités, bien loin de les exclure, les scrofuleux, les rachitiques, etc., seraient amendés et guéris par un régime obligatoire et approprié. Ils coûteraient un peu plus à l'Etat, mais le jour du combat, ils prouveraient la même bravoure que les plus valides, et leur mort causerait moins de regrets et moins de préjudice réel à la nation, cette opinion sans aucun doute, paraître étrange, mais qu'on y réfléchisse, en tenant compte de nos moeurs actuelles, de notre répulsion croissante contre la guerre, de la manière dont aujourd'hui les batailles s'engagent toujours à distance, en demandant à l'artillerie la plus grande somme de résultats destructeurs. On conviendra du moins que cette idée est dans l'ordre des possibles. — Que faut-il aujourd'hui? diminuer le nombre des rabougris, des tuberculeux, des aliénés, des syphilitiques, des scrofuleux, des épileptiques, etc., dont les familles regorgent en France, où pour avoir un homme valide, dans certains départements, il faut réformer souvent les deux tiers des appelés, et toutes ces calamités résultent de l'incurie absolue apportée dans l'union des sexes, en vue de la progéniture — Maintenant je crois, mes chers collègues, n'avoir rien omis pour éclairer votre jugement et obtenir, je l'espère, votre unanimité sur cette conclusion très-explicite, qui est attendue par tout le corps médical, et que vous transmettrez aux autres sociétés de médecine. Cette unanimité apportera une force absolue à votre ligne de conduite, à savoir: *Déclarer que le médecin doit s'interdire toute espèce de renseignements sur la santé d'un client à l'occasion d'un mariage* ». Mox audita hac referentis propositione, et in consultationem posita, plerique Comitatus socii de ea disceptarunt, latoque consilio, omnium suffragio tulit. Vide *Journal de connaissances médic. prat. et pharm.* N.° 34, 10 decembre 1862

et Plogey systemata mordicus aggressus est refellere in conventu Societatis Medico-phisiologicae Bicêtrensis *(Bicêtre)* [1]. Is quippe asserit, si conjugium propositum alteri ex contrahentibus noxium medico videatur, et propter effectus graviter exitiosum, si morbi haereditarii vis genus in pejus ruere minitetur, oportere artis salutaris magistrum, de familiae aeque ac societatis bono jure merito sollicitum, enixe curare ut conjugium illud, et consequa mala impediantur. Eamobrem Medicus in primis debeat circumspecto, sed fidenti atque sincero consilio clientem admonere, tum ejus cognatos et affines, dein, spreto consilio, iisdem patefacere debeat immotam animi sui deliberationem detegendi vitia redhibitoria alteri sponso, ejusve conjunctis ipsum consulentibus, vel ad matrimonium proferendum, aut sponsionem penitus dirimendam [2].

(1) Doctor Casimirus Pinellus hunc sententiam in lucem edidit in celebri Diario *Médecine mentale*, n.° junii 1863, quod typis committitur *Bicêtre* auctore doct. Delasiauve medico hospitii ejusdem civitatis. Praeter secretum medici circa vitia matrimonii redhibitoria, idem Pinellus dissertationem edidit *Sur le secret médical dans ses rapports avec l'aliénation*.

(2) L'homme de l'art justement preoccupé de l'intérêt des familles et de celui non moins sacré de la société, doit user de tous les moyens en son pouvoir pour empecher une telle union et

Clinicus hic suam thesim duplici argumento tuetur: prius a privato familiae bono, et a publica societatis universae utilitate petitum, ne genus evadat deterius: alterum ex fere impossibili exitu Caffeani systematis desumptum, consilii nempe medicorum extraneorum velut juratorum munere fungentium. Ecquis, Pinellus inquit, vel quotusquisque hoc juratorum consilium efflagitaret? Quis unquam sese submitteret huic trutinae admodum impudenti? Verecundia et pudor id sane vetarent.

Si porro duorum systematum Caffeani et Pinelliani vim penitus perpendere placeat, haud erit profecto difficile intimam eorumdem natu-

---

les malheurs qui en seraient inséparables. Que dans un langage réservé, mais loyal et ferme, il doit prévenir d'abord son client, puis les parents du malade, et, s'il n'est point écouté, ne leur pas laisser ignorer son intention irrévocable de faire sentir à la famille qui le consulte la nécessité d'ajourner le mariage ou d'y renoncer complètement. Vide *Journal de médecine mentale*, juin 1863, pag. 190. Haec verba mihi videtur doct. Pinellus fidus interpres eorum quae prof. Bohurus scripsit: « Casus omnes ac singulos silentii medici moderandi ac definiendi vix recensere datur; disquiret et determinabit eadem *cujuslibet conscientiae ac prudentiae dictamen*, si per hanc morbi secreti non in publicum divulgentur . . . sed *his tantum quorum interest* . . . aut *ei, qui eum inhabili, impotente, demente, epileptico etc., matrimonium tentaret, manifestentur* . . . Quorsum etiam spectat, *ut prius subjectum morbosum, v. g. impotens, lue gallica infectum, dehortemur a conjugio ineundo* — *De officio medici* cap. IV. pag. 95, edit. Lips. 1771.

ram et characterem aestimare. Prius docet secreti medici officium integrum et absolutum esse, nullisque finibus coercitum, tum coram potestate judiciaria, vel politica, cum in conspectu societatis, tum quoque privatim occasione nuptiarum, seu sponsorum, conjunctorumve ratione. Maleficia, crimina, abditos morbos, vitia matrimonii redhibitoria, quidquid uno verbo medicus detegit vel agnoscit suam artem exercens, suique ministerii fiducia, medici secreti sanctitate tegere oportet, quoddam veluti sacrum depositum, nullo unquam tempore, locove violandum. At contra alterum Pinelli systema Medici secretum non absolutum, sed relativum agnoscit, prudenti clinici arbitrio commissum, variisque rerum adjunctis accomodatum, denique tale ut si demum cum publica utilitate illud pugnare contingat, publicae rei fasces submittere debeat. Ita sane descripta utriusque scholae velut physiognomia quadam, pronum est intelligere Pinelli doctrinam ad vetustum medicinae legalis systema pertinere a Zacchia, Bohuio, aliisque auspicatum; ex adverso Caffe sententiam recentioris aevi scientiae accepto esse ferendam, adeo ut, dum Pinellus ad praeteritam redit aetatem, et plus saeculi spatio regreditur, Caffe e contra cum progrediente nostri temporis

doctrina pari passu procedat, et vel magis magisque accedat ad formam medicae professionis rationalem, veluti typum, exprimendam.

Inter hasce Pinelli et Caffe scholas non multum ancipites haeremus huic postremae calculum nostrum adjicere; nec nos in aliam discedere sententiam patitur juris philosophia, qua nostrum systema de secreto medico adstruximus in peramplo tractatu, quem ad Conventum Parisiensem misimus: quandoquidem doctrina clinici Caffe, ut nostra fert opinio, nil aliud sit nisi specialis axiomatum generalium hac de re explicatio, exacta principiorum universalium ad hypothesim applicatio logica, uno verbo alterum ex nostris praemissis dialecticum consectarium. Sed prius operae pretium ducimus duas quaestiones sejungere, quae prima fronte a nonnullis confundi possent, quaeque tamen ad diversas juris causas referuntur. Primum itaque in disputationem venit, an medicus cubicularis, qui consultus ab altero sponso, ejusve cognatis de sui clientis valetudine, occultum retegit morbum, quo is laborat, incidat in poenalem sanctionem art. 587 Cod. poen. Ital., vel 378 Cod. Napol.? Altera deinceps quaestio est, an medicus, qui forte in hypothesi eam sanctionem effugiat, violet saltem medicae professionis officium, et in conscientiam

committat? Prior juris positivi scripti quaestio est, et pertinet ad fori curiaeque disceptationem: altera est quaestio juris rationalis, morumque civilium, qua officiorum philosophia in disputationem adducitur.

Quod ad priorem controversiam attinet, censemus haudquaquam fore difficilem ejus solutionem, si explorata juris principia mordicus teneamus, quae vim et potestatem constituunt art. 587 Cod. poen. Quis enimvero finis est, quaeve intentio, vel, ut Romani nostri ajebant, quis animus, aut quodnam consilium est medico, qui sponso vel ejus cognatis alterius sponsi secretum morbum, vitium matrimonii redhibitorium pandit? Profecto non eo medicus movetur animo ut velit nocere, injuria afficere clientem, ejusve existimationem laedere; ipse dumtaxat id propositum habet ut hominem, familiam, futuram progeniem, universam denique societatem a tanto matrimonii exitio tueatur incolumem. Hoc uno argumento invictissime probatur illam Codicis sanctionem huc referri vel accomodari nullo modo posse. Quippe extra omnem dubitationis aleam positum est tum propter scriptorum doctrinam, cum ob rerum judicatarum auctoritatem, *dolum, seu intentionem nocendi* omnino necessariam esse ad constituendam es-

sentiam delicti, quod *secreti revelatio* appellatur, quodque sanctione d. art. 587 coercetur. Intrinseca criminis ratio non est profecto posita in mera ac simplici voluntaria revelatione secreti. Si unum Rauterium inter Galliae doctores excipias, omnium jurisconsultorum unanimi calculo isthaec sententia probata est (¹). Secreti revelatio in conspectu Codicis poenalis, sui natura, est diffamationis, injuriaeque genus. Porro absque affectu injuriandi non concipitur injuria. Ulpiani sententia in vulgatissimum abiit axioma: *Iniuria ex affectu facientis consistit*, l. 3, § 1, ff. *De Injur. et fam. libel.* Sublata nocendi intentione, secreti revelatio nil manet nisi purum putum, ut ajunt, materiale factum: hoc damnum afferre poterit, erit tamen vacuum semper et exutum illo morali-politico charactere, ob quem legislator facto delicti notam impressit, sanxitque poenam. Idcirco Italicus Codex, exemplo Napoleonici ut fere semper contingit, subjiciens art. 587 circa *revelationem secreti* titulo *Della diffamazione, dei libelli famosi e delle ingiurie*, hujusce rei luculentam praebuit demonstrationem. *Rubrica sive titulus*, summus

(¹) Rauter, *Traité du droit pénal*, §. 503

Tolosatis jureconsultus, Cujacius docebat, *clarus est uniuscujusque legis* (¹).

Nec meliori sane ratione hujusce legis vim atque sententiam intelligemus quam si ejus causas motusque consulamus. Enimvero dum in Gallia apud Imperii Consilium art. 378 Cod. poen. (art. 587 Cod. Ital.) discutiebatur, illustris Legumlatorum Consilii Orator, Faure ajebat in *L'Exposé des motifs du Code:* « Cette disposition est nouvelle dans nos lois : il serait à désirer que la délicatesse la rendit inutile; mais combien ne voit-on pas de personnes dépositaires de secrets dûs à leur état, sacrifier leur devoir à leur causticité, se jouer des sujets les plus graves, alimenter la malignité par des révélations indécentes, des anecdotes scandaleuses, et déverser ainsi la honte sur les individus, en portant la désolation dans les familles » (²). Hinc liquet non quaecumque secreti revelationes a medicis factas lege puniri, sed eas duntaxat quae dolo commissae sunt, videlicet animo nocendi, injuriandi, infamia apud vulgus notandi clientem;

(¹) Cujacius, *Observationum* lib. XIV, cap. XXXI. Vid. Everhard *De Locis legal.* a rubrica. Mailher de Chassat, *De l'interprétation des Lois*, pag. 291, Mühlenbruch, *Doctrina Pand.* §. 55.

(²) Locré, *La législation* etc., tom. XV, pag. 464.

quae sane doctrina confirmata fuit sententia Supremae Cortis Moderatricis apud Gallos diei 23 julii 1830 (¹), et fere unanimi Jureconsultorum suffragio est in scholis recepta (²).

Ex hisce doctrinae et jurisprudentiae firmissimis principiis recta fluit propositae disputationis diremptio. Sanctione art. 587 Cod. poen. non punitur nisi secreti revelatio dolosa, a medico facta animo nocendi et infamia notandi. Jam clinicus, qui vitium matrimonii redhibitorium patefacit iis quorum interest, nullo movetur animo nocendi, sed juvandi. Is ergo prorsus non committit in Codicem poenalem, nullaque poena mulctari potest. Sane non diffitemur illam Codicis sanctionem officio secreti medicae professionis, tamquam fundamine, subniti, illamque esse supremam legislatoris mentem. Verum vel qui a limine juris criminalis scientiam salutarunt, jam perspecte norunt artificio logicae interpretationis non posse creari delicta. Recte Franciscus Baconius, immortalis ille Angliae Cancellarius, in suis aphorismis scriptum reli-

(¹) Sirey, XXX, 1 290.

(²) Chauveau-Hélie, *Théorie du code pén.*, N 2140; Dalloz *Répert* v. *révélation de secrets* Cf. meum *Tractatum De Secreto Medici et Advocati* §§. 69, 70, 71, 261, 323 492-97, 507, 508.

quit, *Durum est torquere leges ad hoc ut torqueant homines. Non placet igitur extendi leges poenales ad delicta nova* (1). Imo valde illud mihi displicet (perbelle subjicit Dupinius, Galliae Papinianus alter); est enim illegale, et ita dixerim, impium! (2).

Donec expressa Codicis sanctione factum ipsum revelationis secreti medici delicti forma haud notetur, quacumque in re, quavis ratione omni exceptione absoluta, quolibet animo vel intentione commissum, uno verbo quousque lege non puniatur actum materiale revelationis sub forma vel titulo *di trasgressione o contravvenzione*, numquam judices vel tribunalia jure poterunt vigentem Codicis poenalis sanctionem extendere praeter eas secreti revelationes, quae a medicis factae fuerint animo nocendi, injuriandi, vel infamia notandi. Vel ipsemet insignis Clinicus Hospitalis Parisiensis hanc indubitatam juris gallici doctrinam aperte professus est. J' accorde un instant, inquit, que le médecin ne puisse tomber sous le coup de l'action correction-

---

(1) *Legum leges, sive Francisci Baconis Angliae quondam Cancellarii*, Tractatus De Fontibus universi juris, Sect. *III*, aphor. *XIII*.

(2) *Annotationes* A. M. J. J. Dupin ad Legum Leges Baconii d. sect. d. aphor.

nelle, par absence de preuves, qu' il y aurait eu *intention criminelle* (¹).

Ex eo porro quod in hypothesi medico imputari nequeat delictum revelati secreti, de quo agitur in art. 587 Cod. poen. ex defectu doli, seu intentionis criminosae, necessario consequitur nec sponsum, neque ejus cognatos, qui medicum ad secreti revelationem impulerint, posse, ceu *instigatores*, poenae obnoxios dici. Huc enim locum sibi vindicat illud poenalis doctrinae axioma, ubi nullum est principale delictum, nec delictum accessorium concipi posse (²), aut clarius, ubi reus principalis non exstat ex absoluto delicti defectu (nec jam ex ratione mere *subjectiva* vel personali, aut *cessatione* poenae ob *extrin-*

(¹) Vide *Rapport par M.* CAFFE, Journal des connaissances etc. ñ. 1.

(²) Vid. RAUTER, *Traité du droit crimin.*, §. 115 CARNOT, *Comm. Cod. pén.* art. 59 N. 5, art. 60, N. 11, MERLIN, *Questions de droit*, v. complice, BOITARD, *Leçons sur le code pén.* pag. 275. CHAUVEAU-HÉLIE, *Théorie* etc. §§. 697 seqq. ROSSI, *Traité de droit pén.* liv. II, chap. XXXIV; ORTOLAN *Éléments de droit pén.* liv. 1, tit. IV, chap. IV, CARMIGNANI *Elem. juris crim.* § 248 seqq., *Leggi della sicurezza soc.*, lib. 2, cap. 17-20, GIULIANI, *Instituzioni di diritto criminale*, lib. 1 cap. VII, CARRARA, *Programma del corso di diritto penale*, sez. I, cap. 3. art. 2, N. NICOLINI, *Della Complicità*, ZUPPETTA, *Leg. pen. comparata*, §§. 1036, 1037, 1038, ARMELLINI, *Istituzioni di dir. pen.* lib. 1. tit. 1, cap. V. TRÉBUTIEN, *Cours de droit. crim.* tit. V. chap. 2.

seca adjuncta), nec ullos delinquentes accessorios exstare posse, neque praecedentes, aut concomitantes, vel subsequentes juxta vetus scholarum adagium: *Socius delicti non intelligitur sine auctore delicti*. Ipsa namque rerum natura haud patitur ullam esse accessionem aut participationem delicti, quod non exsistit. Quae quidem sententia eo magis in nostra hypothesi tenenda, quo ipsamet ratio, quae delicti existentiam in medici persona prorsus excludit, eadem locum habeat respectu sponsi vel cognatorum, qui revelationis participes fuerunt: deest namque in omnibus *dolus*, seu intentio et animus nocendi vel injuriandi, et vel magis in iis quorum interest, quippe qui suae vel suorum conservationi, familiae bono, prolisque felicitati consulere student. Quare ut medicus, qui arcanum revelat, non committit in sanctionem d. art. 587 ceu principalis delinquens, ita quoque in eam non committunt velut instigatores aut rei accessorii illi quorum interest, qui medicum impulerunt ad vitia matrimonii redhibitoria manifestanda. Ast vero ex eo quod in quaestionis nostrae hypothesi *judicium correctionale* clinicus effugiat, an ne existimabimus nec ipsum civili teneri actione de eo quod interest erga suum clientem, cujus matrimonium fuit impeditum ob secreti revelationem?

Nullo modo. Vel ipsi juris naturalis scriptores jamdiu animadverterunt non recte ac necessario inferri a defectu delicti ad indemnitatis liberationem, vel, ut jurisperiti loqui amant, ab actione poenali ad actionem civilem (¹). Qua in re mihi laetandum esse censeo dum video laudatum medicum Caffe in eamdem venisse sententiam. Is equidem, remoto poenali judicio ob criminosae intentionis defectum, subdit: mais alors il n' échappera pas toujours à l'action civile drigée par le client, par la partie lésée dans ses intérêts, dans ses espérances: alors s' élèveront des questions délicates et douteuses sur le mobile du médecin, qui sera poursuivi conformément aux articles 1382 et 1833 du Code Napoléon (art. 1151, 1152 Cod. civ. Ital.), qui prescrivent la réparation du dommage causé, même par imprudence ou par negligence ».

Liceat hic nobis tantisper hac in re immorari tam arcte connexa cum themate medicinae civilis, quod prae manibus est: clinicus noster pro re nata summo tantum digito argumentum

(¹) De Zeiller, *Diritto naturale priv.* §. 179 Köhler, *Exercitat. juris naturae*, §. 936, Thomasius *Larva legi aquiliae detracta*, Poerschio, *Introduzione al dir. naturale* p. 78, Rosmini, *Filosofia del diritto*, tom. 1, lib. 4, cap. 5. art. IV.

attigit, quod sane nobis jureconsultis est diligentius evolvendum. Itaque omnino veram putamus sententiam, qua asseritur in hypothesi medicum erga clientem ad id quod interest civili actione teneri, non item poenali in conspectu Codicis criminalis. Civilis ad indemnitatem obligatio ex proprio juris fonte dimanare potest bene quidem ab altero sejuncto, ex quo poenalis obligatio proficiscitur. Haec quippe recta manat ex delicto; delictum autem dolum requirit. Porro contingere potest ut dolus absit a facto, quod alteri damnum infert: sed fieri etiam potest, remoto quoque dolo, aliquam agentis culpam in facto superesse. Si ita res cesserit, profecto casus erit, quo simul quis de delicto argui non possit, nec poenae sit obnoxius, et tamen civiliter teneatur ex mera imprudentia, negligentia vel culpa, ideoque debeat laeso indemnitatem praestare. Ita sane fiet quoad propositam quaestionem ut medicus, qui vitium matrimonii redhibitorium detexerit iis quorum interest, reus delicti non sit in conspectu art. 587 Cod. poen. ex defectu doli et intentionis criminosae, sed delicto quoque sublato, simplex culpa supersit, nempe medici inconsideratio et imprudentia secretum revelantis contra officium medicae professionis. Porro sufficit conditio facti vel mera

culpa commissi, quod cuipiam nocuerit ut civilis praestandae indemnitatis obligatio agenti imponatur (1).

Omnium populorum legumlatores haec sacra juris naturae principia suis Codicibus peculiari sanctione firmarunt. Quodlibet hominis factum, quod alteri damnum infert, obligat eum, cujus

---

(1) Admodum veritati consona est distinctio obligationis civilis et poenalis circa idem factum, quod in accusationem deducitur, ut rei judicatae auctoritas qua reus est absolutus, haudquaquam semper ac necessario impediat, quominus facta jam juratorum judicio aestimata novo civili judicio subjiciantur ut statuatur an absolutus saltem teneatur favore laesi ad praestationem indemnitatis. Accusatus enim absolvi potuit eo quod ex defectu doli nullum crimen vel delictum exstabat: nihilominus potuit superesse *quasi-delictum*, scilicet culpa simplex, quae indemnitatis obligationem parit. Quod si accusatus fuerit absolutus quia factum de quo arguebatur, fuit jure commissum, et juris exercitium involvebat, puta ad legitimam sui defensionem, tunc nec civilis nec poenalis obligationis causa exstabit: quandoquidem licet exstiterit damnum materiale, tamen nulla fuerit culpa quae non deficiente dolo, civilem obligationem parere potuisset. Unus excipiatur casus, quo reus moderamen excesserit inculpatae tutelae, quippe quum ratione excessus de obligatione indemnitatis statuendum. Hac de re consule sententias, Cour de Cassat. 5 mai 1832 25 nov. 1831, Cour d'Assis. de l'Aveyron 13 nov. 1835, Cour de Rennes 25 avril 1736. Cf. Rogron *Cod. d'instr. crim.* art. 358, Merlin, Répert. v. *réparation civile* § 7, Carnot, *Cod. d'instr. crim.* art. 358 N. 4, 9, Chauveau-Hélie, *Théorie du code pén.* §§ 326 seqq., Dalloz, *Répert.* v. *responsabilité*, n. 102, 103, 104 seqq., Merlin, *Répert.* v. *dommages intér.* N. 4.

culpa commissum est, ad damnum resarciendum. Unusquisque debet praestare damnum, quod attulit nedum suo dolo, verum etiam sua negligentia vel imprudentia ([1]). Hic nulla profecto distinctio fit, an factum sit *positivum* (culpa in committendo), an vero *negativum* (culpa in omittendo) vel utrum damnum illatum sit *physicum* et materiale, an dumtaxat *morale*, dummodo factum sit objective illicitum, et subjective imputabile, et uno verbo, modo culpa adsit facientis, cui nullum jus erat ad agendi, multoque magis si officium ei incumbebat sese facto abstinendi, illudque posuerit consulto animo, et libera voluntate. Posthaec non amplius investigandum de animo et intentione agentis, an nocendi proposito is motus fuerit vel non. Ad quaestionem indemnitatis sat est culpa, vel negligentia, vel imprudentia: et culpa tota per se posita est in violatione officii, non quidem dumtaxat *moralis*, bene vero *juridici*, quod nempe ex legibus civitatis, aut conventionibus pendet ([2]).

([1]) Consule Cod. Napoleonicum, art. 1382, 1383 — Cod. Borussicum, art. 1-39 — Cod. civ. univ. Austriacum §§ 1299, 1300, 1302, 1312 — Cod. civ. Italicum, art 1151, 1152. Quoad alios legum Codices exteros videndus SAINT-JOSEPH, *Concordance des Codes* etc.

([2]) Confer TOULLIER, *Droit civil.* tom II, N. *117*, MERLIN, *Repert.* v. *faute*, DURANTON, *Cours de droit civ franç.*, N. *712*, *713*;

Horum porro principiorum log'ca applicatio recta via ad Caffe conclusionem perducit. Esto quod medicus patefaciens iis, quorum interest, vitium matrimonii redhibitorium, non eo fuerit animo comparatus ut summ chentem probro vel infamia notaret; id demum removet dumtaxat tollitque dolum, atque hinc poenalem actionem excludit proficiscentem ex delicto, do quo in art. 587 Cod. Poen. At vero hac quoque sublata, civilis actio superest. Nemo unus enim non medicum arguet culpae, imprudentiae, aut quasi-delicti, quod clienti obfuit, peperitque jacturam. Cunctae hic occurrunt conditiones civilis actionis: *culpa* in primis adest; quoniam factum positivum exstat *(revelatio)* sponte admissum contra legem officii *(secretum)*, et quidem officii non mere moralis ethici, utique vero *juridici*, quod lege, natura ipsa professionis, expressa vel tacita conventione fiduciae, ac plerisque locis

---

Pothier, *Des obligations*, Sect. 2; Zachariae *Droit civ théor. franç.* tom 2, liv 1, P 2 chap IV, Proudhon, *Traité d'usufruit* etc. tom 3, N *1524, 1525*, Domat, *Lois civ*, tit. *des obligat. des quasi délits*, Sourdat, *Traité de la responsabilité*, tom 1, Chauveau-Hélie, *Théorie du Cod pén* chap VII, sect. 3 Marcadé *Explication du Code Napol.* art 1382, 1383, Dalloz, *Répertoire*, v. *Responsabilité* chap 2 Rolland de Villargues v. *dommage*, N 6 Demante, *Programme du cours de droit civil*, liv. 3 tit. 4, chap 2, N *875, 876*

solemni Hippocratico juramento impositum est. *Damnum* insuper subest: siquidem ob vitii redhibitorii revelationem conjugium fuit impeditum: quæ ex re plura damna clienti inferuntur: primum *morale* damnum, propter laesum sui animi affectum, propter dedecus et ignominiam publicam ex notitia secreti morbi in vulgus propagata manantem: tum quoque jactura subest pecuniaria ob factos sumptus saepenumero ingentes occasione conjugii, vel spem nuptialium lucrorum omnino deceptam (¹). Brevi, inest culpa in revelatione secreti; culpam comitatur damnum quoad necessarios et proximos revelationis effectus: inde jura clamant civili actioni ad clientis indemnitatem locum fieri oportere juxta praejacta naturalis et positivi juris fundamenta. Nec quispiam censeat huic civili actioni sese eminenti eximere posse suae culpae levitatem excipientem, vel potissimum propter humanam animi intentionem, quam sibi revelatione morbi proposuit, quasi inconsideratam sui officii violationem excusare queat. Nec nos latet Proudhon, aliosque insignis notae jureconsultos docuisse neminem hodie generatim levis culpae nomine teneri,

(¹) Vid. Gioia, *Dell'ingiuria, dei danni e del soddisfacimento.* P. 2, lib. 1, cap. 3 § 2, lib. 2.

utique dumtaxat de culpa lata seu gravi, aut media, nec oportere confundi quod ratione probari, et illud quod excusari nequit: culpam omnem, eo ipso quod culpa sit, justam effici ratione numquam posse; at si levissima fuerit excusatione esse dignam, quandoquidem nefas sit humanam imbecillitatem, fragilitatemque in accusationem adducere judiciariam (¹).

Quantivis pretii doctrinam istam aestimandam esse censeamus (litemque interim sub judice relinquere juverit), nemo profecto dubitabit quin ea ad propositam quaestionem accomodari nullo modo possit. Ipsa namque principio pro certo ponit agi de culpa *levissima*. Porro ejusmodi existimari nequit medici culpa, qui secreti fidem fregit, causam praebens proximam ac necessariam tot damnis ex revelatione manantibus quae superius ostendimus. At vero vel pro certo habeamus tantisper levem, quinimo levissimam esse clinici culpam revelantis; huc sano illa doctrina revocari non posset: quippe quae locum habeat dumtaxat in iis obligationum figuris, quae ex *causa licita*, nimirum ex contractibus, vel quasi contractibus oriuntur. Enimvero ipse Proudhon, ejusque asseclae illam juris

(¹) Proudhon, *Traité de l'usufruit* etc. N. 1512. 1513.

doctrinam evolvunt dum articulum 1137 Cod. Nap. commentantur, qui subjicitur Titulo *Des effets des obligations conventionnelles*, sub quo nimirum legislator statuit generalia principia circa obligationes, quae ex contractibus vel quasi proficiscuntur. At eadem doctrina porrigi nequit ad obligationes, quae ex causa illicita gignuntur, nempe ex delictis vel quasi, quem in censum referendi sunt art. 1151, 1152 Cod. civ. Ital. (art. 1382, 1383 Cod. Napol.), ut ex ipsamet rubrica liquet, sub qua positi sunt. Horum articulorum contextus litteralis omnem respuit distinctionem inter varias culpae species, quibus alteri jactura quaelibet illata sit. *Quodlibet hominis factum*, diserte legislator inquit, *vel negligentia aut imprudentia commissum*. Sufficit ergo quod damnum ex facto culpabili oriatur, vel mera negligentia imprudentiave commisso, ut quis ad praestandam indemnitatem jure obligetur, quin liceat absolutionis vel excusationis causas comminisci ope subtilium distinctionum, quae lege ipsa penitus repelluntur. Ipsemet Proudhon duplicem regulam perspicue tradit circa indemnitatis obligationem, alteram quoad culpam debitoris ex contractu, alteram quoad delicta vel quasi delicta. Qui delictum committit, is omnia damna ex eo consequentia

praestare tenetur, quia rem illicitam et flagitiosam facere voluit: tunc sane in quaestionem adduci nequit, an ipse culpam levem admiserit, siquidem nocendi propositum habuit, atque dolus facto inest, est in reipsa, vel ceu Romani jurisconsulti loquuntur, *obligamur ex peccato* [1]. Et quum agitur de quasi-delicto, uitit nil nisi culpa sit, quoniam agens damni inferendi animo comparatus non fuerit, nihilo tamen minus hoc culpae genus aliis culpis ordinariis occasione contractus admissis exaequari omnino non potest, quippe quod proprium ac peculiarem habeat characterem. Est enim semper culpa gravis, si rem recta putare velimus via; quandoquidem factum, quod damnum parit, per se ipsum illicitum est: agens rei illicitae operam dabat. Haec igitur culpa est necessario plus minusve gravis censenda: lex enim, quae quidpiam fieri vetat, eo ipso satis superque agentem monet de jactura, quae alteri necessario inferri debeat.

Universa haec doctrina ex Jure Romano, velut ex fonte, derivata est: ita sane jus illud suppeditat novum ac luculentum nostri thematis argumentum. Lex Aquilia Romanorum coercebat *damnum injuria datum*, et laeso actionem

(1) L. 52, pr. §. 8 ff. *De Obligationibus et Actionibus*

concedebat pecuniariam, mixtam, persequutoriam simulque poenalem, *quanti res plurimi* fuisset [1]. Atque id verbum *injuria* quodvis damnum complectebatur non jure factum, etiamsi absque dolo, modo commissum quavis culpa, etiam levissima [2], dempta solum vi majori, quam *divinam* veteres appellabant, exceptoque casu fortuito. *In lege Aquilia*, Ulpianus docet, *et levissima culpa venit* [3]: in quae verba sic

---

(1) *Institutionum*, pr §§ 8, 15 *De Lege Aquilia*, l. 21, § ult., l. 23, §. 7, l. 51 §. 2 ff *Ad legem Aquil*, § 19, *Instit De Actionibus*. Cf A Vinnium, *Comm Institut* lib IV, tit. 3 Heinneccium, *Elementa juris Rom* ibi Du Caurroy, *Instit. de Justinien*, Liv 4, tit. 3, N 1142 1143 Warnkoenig *Instit Jur. Rom priv* §. 984, Gravina, *De ortu et progr jur civ.* lib 3, cap. CX, Domenget, *Instit de Gajus* §§. 210 sequ., Pothier, *Pandectae*, lib IX, tit. 2, §. 3, De Greve, *Exerc. ad Pand* X, VI.

(2) Videsis Suarez de Mendoza *Comm ad Leg Aquiliam*, lib 3, cap 6, Balduinum, *Comm De Lege Aquil* N 226, Donellum, *Comm Jur Civ* lib. XVI, cap. 6, 7, Noodt, *Ad Leg Aquil* liber sing., cap 3, Vinnium, *Comm Instit* l IV tit. 3, §. 8 Cujacium, *Paratitla* ad tit ff et cod *De Leg Aquil*, Lohr, *Beiträge zu der Teorie d. culpa*, Hasse, *Die culpa des Röm Rechts*, Elvers, *Doctr. jur. civ Rom. de culpa*, Le Brun, *Essai sur la prestation des fautes*, Haimberger Dirit. Rom §. 578, Mühlenbruch, *Doctrina Pand* §§ 352, 450.

(3) L. 44, § 1, ff *ad Leg Aquil.* Cf. L. 1, §. 2, ff *Si is qui testam liber esse*, *Instit* §. 3, *De L. Aquil* Videsis Meermann, *Coll Argent.* tom. 1, lib. IX tit 2, N. 5 Huberus, *Praelect. Jur Civ* tom. 1, lib. IV, tit. 3, N 2, 3, Gothofredum ad d. l. 44, §. 1 Delvincourt, *Jur Romani Elem* lib IV, tit. 3 Heinneccium *Recitationes*, §§. 1080-1081, Vinnium, *Partitiones Jur.* lib. II, cap. XLVI

recte Vinnius notat: per Legem Aquiliam *non solum dolus, sed etiam culpa vindicatur, ita ut ne levissima quidem hic excusationem habeat*, l. 44 ff. *Ad leg. Aquil.*; et recte: nam cum potior semper sit causa ejus, qui damnum patitur, quam qui dat, aequum est damnum quacumque culpa datum sarciri ab eo, qui dedit (¹). Hocce juris Romani principium receptum fuit a cunctis recentioribus jureconsultis, praesertim Gallicis, qui in Romanarum legum studium enixe incumbentes Codici Napoleonico fundamenta jecerunt, quos inter sapientem Pothierium laudabimus (²), prudentemque Domatium, qui docent jacturas omnes, cunctaque damna, quae ex cujusvis personae facto oriri possunt, imprudentia sit ne, an levitas, ignorantia aut artis imperitia, vel ex qualibet alia culpa *quantumvis levissima*, ab eo sarciri oportere, cujus culpa data fuerint (³), esse enim injuriam, id est non jure factum, etsi nocendi consilium defuerit.

(¹) Vinnius *Comm. Instit. Imper.* ad §§. 4, 5, 6, 7, 8. *De Lege Aquil.* Cf. J. De Giovanni, *Notae in Imper. Instit.* Lib. IV, tit. De Lege Aquil., N. 81

(²) *Des Obligations*, Sect. 11; *Observat. générales* sur le Traité Lebrun, *De la prestation des fautes*.

(³) Domat, *Lois Civ.* liv. 2, tit. 8, sect. 4. Haec Domatii doctrina, quae *synthesis* dici potest Legis Aquiliae Romanorum omnibus quasi-delictis accomodata quoad materiam indemnitatis, eo

Porro hisce juris romani et codicis civilis principiis in unum compositis, habita ratione revelationis vitii matrimonii redhibitorii a clinico factae iis quorum interest, hinc tria corollaria sequuntur:

I. Revelatio vitii redhibitorii matrimonii in hypothesi a medico facta, etiam sine proposito nocendi, est quasi-delictum:

II. Medicus vitium ejusmodi patefaciens, quamvis subducatur actioni poenali juxta legem hactenus vigentem, sese tamen eximere nequit judicio civili ad indemnitatem erga laesum clientem:

III. Civilis haec Medici obligatio nec cessat, neque extenuatur propter quamcumque assertam culpae levitatem, neque huc accomodari possunt sub eo respectu juris regulae circa indemnitatem praestandam ob culpam in conventionibus commissam. Caeterum hujus loci non

---

magis in proposita Medici quaestione retinenda est, quo exploratum est Romanos inter culparum genera, quae Legis Aquiliae actioni locum dabant, enumerasse culpam *imprudentiae, negligentiae*, aut *imperitiae* Medici in faciendo medela puta si male secuerit, aut perperam medicamentum dederit §§ 6, 7 *Instit* De Lege Aquilia. l. 7 in fin, l. 8 pr, l. 13, ff. eod Videsis doctissimam et splendidissimam orationem Dupini Procuratoris generalis apud Supremam Galliae Curiam Moderatricem in causa Medici Thouret-Noroy Dupin, *Réquisitoires, Plaidoyers* etc. tom 3, pag 263

est de extensione civilis actionis disceptare, qua medicus erga clientem tenetur. Quaenam indemnitatis praestationes hujusce actionis finibus et velut ambitu contineantur, meri juris civilis disputatio est, quae sane Medicinae Forensis propositae investigationis terminos egreditur.

Hucusque longe lateque expendimus alteram ex duabus quaestionibus, quas supra proposuimus circa actionem poenalem atque civilem, cui Medicus sit obnoxius propter vitia matrimonii redhibitoria ab eo revelata illis quorum interest. Rejecimus poenalem actionem in conspectu nostri et Gallici Codicis criminalis, qui eas tantum revelationes poena persequuntur, quae dolo factae sunt, animo videlicet nocendi, infamiaque notandi. Ast actionem civilem ad damni reparationem admisimus propter Medici culpam. Porro haec culpae notio, suamet vi, hanc ideam involvit, quod Medicus violet officium secreti etiam tum quum absque doloso consilio detegit vitium matrimonii redhibitorium iis quorum interest. En ecce altera quaestio, quae nobis superest excutienda.

Qua in re plane non haeremus, quo nos vertamus. Et comite eodem doctissimo Medico Sabaudiensi in affirmantem imus sententiam, et pro secreto respondemus. In primis enim et

multa et gravissima argumenta, quibus nititur Medicorum secretum, quaeque nos late exposuimus in Tractatu *De Secreto Medici*, huc logicae necessitatis vi accomodantur ad peculiarem nostrae quaestionis hypothesim. Quoties namque characteres omnes ac conditiones secreti medicae professionis concurrant, quas in eodem tractatu evolvimus, nimirum *conditio* seu *qualitas subjectiva depositarii* secretum recipientis *ratione ministerii vel professionis*, — *arcani fides commissa* vel *expresso pacto*, vel *tacito* et praesumpto ex rei ipsius natura, — tum *natura facti*, vel *arcani*, cujus evulgatio physicam vel moralem jacturam clienti afferre valeat quoad propria *jura*, aut legitimos *affectus*, honestasque *utilitates*, quotiens, inquimus, omnes hae conditiones conveniant, nulla ratione possumus in quibusdam casibus secreti officium admittere, in aliis respuere. Ars quippe logica juris, morumque philosophia, una individuaque est, eritque semper: positis semel conditionibus ac proprietatibus alicujus officii essentiam constituentibus, non potest non gigni et exstare officium illud in cunctis factorum hypothesibus: poterit equidem objectum facti materiale immutari atque variare; ast medius fidius ratio moralis et juridica una et perpetua manet in aevum immota.

Sit morbus secretus, puta, venereus, sitve delictum, ut vulnera in rixa, aut singulari certamine, vel latrocinio inflicta, sit etiam vitium quodpiam matrimonii redhibitorium, finge morbum strumosum, vel generandi impotentiam, quae omnia clinicus agnoverit suam artem exercens, et arcani fiducia; qua fronte, quove potius jure, nunc age, asseri potest Medicum in una magis quam in altera facti specie ad secreti fidem obstringi, si in singulis modo recensitis hypothesibus omnes concurrunt secreti medici characteres, si eadem prorsus ratio valet, si una perpetuo est professionis natura? Numquid vitii redhibitorii revelatio clienti non obest, qui in vulgus, puta, ut monorchis, circumfertur, et generandi impos, adeo omni conjugii spe excidit, dedecore et infamia apud publicam existimationem notatur, omnium ore derisus atque contemptus, ac veluti vulgi fabula factus? Æterna logicae veritas inexorabilis est: vix posito agnitoque principio, vel omnia consectaria admittantur necesse est: secreti medici fides aut semper inviolabilis est, aut numquam. Medicus, cujus cordi sit religiosa officiorum suae professionis observantia, numquam non fatebitur cum Catullo:

Si quicquam tacito commissum est fido ab amico
Cujus est penitus nota fides animi,

Me unum esse invenies illorum jure sacratum,
Corneli, et factum me esse puta Harpocratem (1).

Carmen LII ad *Cornelium*

Nec quispiam existimet quoties agitur de matrimonii causa aliquam afferri posse peculiarem rationem ex objecto vel subjecto petitam, ob quam Medicus minime teneatur secreti fidem diligenter sancteque servare. Vis ne ad supremam salutis pubblicae legem confugere, ne matrimonia vitio redhibitorio affecta contrahantur, mox tantam paritura perniciem universae societati? At vero quum agitur de criminibus, praesertim gravissimis, de conjuratione, finge, de seditione adversus populi libertatem (nec jam de tyrannorum utilitatibus loquimur), de homicidio, aut veneficio, nonne militat eadem ratio publicae utilitatis, ordinisque civilis, videlicet delictorum coercitio? Doctor clinicus Mudd, qui cruri Booth medendo, alterum ex scelestissimis miserandi Lincoln sicariis agnovit, vel puncto temporis secreti denuntiationem protulisset, si pubblicae utilitatis nomine ad eam se obstrictum

(1) Harpocrates erat silentii Deus, quem Ægyptii colebant. Ejus simulacrum, digito labiis admoto, admonere videbatur, et silentium fieret. Videsis D. Augustinum lib. 18 *De Civit. Dei*, cap. 5.

fore persuasum exploratumque habuisset? Quae gravior publicae utilitatis ratio ad punienda flagitia excogitari potest quam ea, quae cives adstringit ad testimonium in judicio ferendum, a quo criminis probatio pendet, ejusque vindicta? Tamen norunt omnes ob secreti legem medicum non teneri ad dicendum testimonium de delicto, quod ipse cognovit ratione sui ministerii, etsi vel ejus testimonium sola patrati criminis probatio foret, ideoque licet accusatus ex aliarum probationum defectu omni poena solutus esset dimittendus. Quinimo nedum a testimonio ferendo, verum etiam ab ireuarchico officio referendi delicti ad auctoritatem judiciariam nonnulli cultiorum populorum Codices medicos eximunt, atque ita ex juris philosophia apud nos statuendum esse propugnant recentiores plerique. Quid quod? An quidquam Rei publicae utilius esse potest quam nos hostis patriae potiri, eumque pugnandi impotem reddere? Si hostis ille ferventis pugnae conflictu vulnera passus, sese in abditum penitiusque refugium conjecerit, et nostratis medici subsidium petierit, num medicus hic, jam medela facta, abjectissimo delationis officio eum prodere poterit, et vinctum, ceu belli captivum, audebit in potestatem tradere? Quousque tandem utilitatibus ac bono rei publicae

vel privatae abutemur, atque officia ethico-juridica utilitatis trutina aestimabimus? Juris philosophiae sempiterna lex clamat: *Impleantur officia, Iustitia fiat, pereat Mundus!*

Ad haec animadvertere quoque juverit praeter secreti revelationem plerasque alias suppetere rationes ad publicae valetudinis prosperitatem, sobolisque bonum consequendum. Nobilissima sane cura, haudquaquam diffitemur, euixe Medici student, totoque pectore in dies incumbunt ad meliorem hominum stirpem efficiendam: sed id tandem aliquando persuasum nobis sit Medicae artis, hygienis, integrae bonaeque vitae progressus longe amplius quam proditorias medicorum revelationes prodesse ad genus humanum melius reddendum; vel donec ad optatos ejusmodi progressus perveniamus, personarum conjugia vitio redhibitorio laborantium impediri equidem possunt medicorum extraneorum consilio quin penitus cubicularis clinici conscientia misere torqueatur, ut infra dicemus.

Nisi quod plerisque scriptoribus placuisse videmus ad honestandam, vel saltem excusandam vitii redhibitorii revelationem, ad intentionem Medici laude et commendatione dignam confugere. Franciscus Carrara, sapientissimus collega noster in hoc celebri Pisarum Athenaeo,

quemque nos toto pectore colimus tunc etiam quum ab ejus sententiis aegre discedimus, in hujusce scholae opinionem pedibus ivit. *Io fui più d'una volta consultato*, ipse scribit, *su tale emergente da rispettabili professori dell' arte medica, la coscienza de' quali titubava fra il dovere professionale del secreto e il dovere cristiano d'impedire la rovina di una creatura: e francamente dirò che sempre risposi non potersi mai mantenere il precetto della legge umana a dispetto della legge morale; e non potersi mai la legge punitiva estendere a colpire un atto di umanità eseguito a buon fine*(¹). Vehementer mihi dolet a tanto jurisconsulto dissentire! Plane huic doctrinae libenter nostrum calculum adjiceremus si ad removendam poenalis legis sanctionem universa quaestio coerceretur: siquidem jam superius demonstravimus sanctionem illam non posse accomodari ad secreti revelationes, de quibus agimus, ob defectum dolosae intentionis injuriandi atque laedendi. At vero non eam esse clarissimi jurisconsulti sententiam explorata res est. Ipse enim, juxta suae scholae systema, censet haud sufficere defectum doli, aut propositi nocendi ut legis sanctio excludatur, ni

(¹) *Programma del Corso del diritto penale* Parte Speciale § 1619.

quoque concurrat omnis imprudentiae aut levitatis defectus; quandoquidem amplexus Rauterii sententiam (quae tamen in Gallia jam fuit unanimi jureconsultorum suffragio explosa, et praesertim a Puccionio apud nostrates [1]) mordicus tenet reatum *revelati secreti* concipi absque dolo, ejusque essentiam in uno revelandi animo omnino positam esse vel sine nocendi proposito, quoniam medicus secretum proferens non eo sit animo comparatus ut suum clientem dehonestare velit, sed plerumque levitate imprudentiave moveatur: atque inde colligit reatum hujusmodi potius quam *delictum, transgressionem* (contravvenzione) esse appellandam, atque idcirco nil culpae parvitatem referre, quippe culpa per se ipsa totam hujusce tituli essentiam constituat [2]. Hinc sponte liquet Collegam nostrum haudquaquam confugere ad bonum Medici finem in revelando vitio matrimonii redhibitorio, ut dolum dumtaxat removeat, legisque poenam excludat, quippe quae juxta sui systematis formam dolum minime requirat; bene quidem ut actus honestatem justitiamque demonstret, adeo ut nec aliqua secreti violatio concipiatur, nec

[1] *Codice penale Toscano illustrato*, art. 373.

[2] *Programma del Corso* ec., §§. 959 *segg.*, §§ 1610, 1611.

ullum possit esse delictum ubi factum per se ipsum licitum honestumque sit. Quod vel ex eo luculenter patet quod ipsemet affirmet medicum in hypothesi revelantem *christianum adimplere officium ruinae a capite innoxii hominis propulsandae*, ideoque *legem moralem observare:* atquin officii implementum, legisque moralis observantia necessario arguunt moralem actus bonitatem atque justitiam. Ita sane quaestione coercita ad fines officii secreti medicae professionis, et intra terminos morum socialium comprehensa, doctissimo Collegae nostro plane assentire nequimus.

In mentem tantisper revocemus sanctissima morum jurisque philosophiae praecepta. Finis et propositum agentis non est nisi actionis terminus et meta; agentis porro intentio nihil est aliud nisi directio suae voluntatis ad terminum illum. Jamvero finis per se unus universam actus integritatem neutiquam constituit; atque agentis voluntas in illum terminum ferri potest pluribus modis, ceu diversis ad metam itineribus, qui sane modi non semper liciti, nec morum legibus conveniunt. Jamdiu communis et vulgatissima Ethices schola edocet, honestatem justitiamque cujuscumque actionis tribus conditionibus, velut elementis, constare; *obiecto* nempe

actionis, *fine* agentis, ejusdemque actus *adjunctis* vel circumstantiis. Haec profecto sunt principia, seu fontes moralitatis actuum humanorum. Si vel unum ex elementis hisce malum fuerit, et tota actio mala erit: eorum tamen alterum bonum esse potest quin actio tota sit bona atque honesta. Causae integritas actus bonitatem moralem constituit; et ut scholarum formula utamur, *Bonum est ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu* (1) Juxta inconcussa haec Ethicae dogmata, melioris notae juris-philosophi recentiores docent *jus* non posse aestimari vel metiri ex uno conceptu *personalis activitatis, quae ad finem consequendi boni perducat* (2). Et veluti quadam hujusce doctrinae derivatione, qui de politicae philosophia scripsere jamdiu monuerunt Gentium et Civitatum jura non ex mero fine conservationis rei publicae esse dimetienda, adeo ut omnia, quae quovis modo ad rempublicam tuendam et conservandam valent, eo ipso justa et honesta

(1) Genovesi, *Diosozina* lib. 1, Pestalozza, *Elementi di filosofia*, vol 4, P. 2 sez. 11, cap 2, art V, Rosmini, *Filosofia della Morale*, trattato della Coscienza.

(2) Rosmini, *Filosofia del diritto*, tom 1, *Del principio della derivazione de diritti*, cap 2, art. 1.

sint existimanda: quandoquidem non omnes modi ac rationes conservationis licitae honestaeque sunt (¹) Hinc veterem illum machiavellistarum paralogismum « *Il fine giustifica i mezzi* » aetatis recentioris civilitas jam sibilo explosit. Hinc quoque factum est tritum vulgi sermone proverbium, noxam vel delictum ex rectitudine finis bonum justumque fieri nullo modo posse. Quid namque interest si tu mihi pecuniam surripias ut egeno subvenias? Item quid, quaeso, interest si medicus sui clientis morbum secretum sponso, ejusve cognatis detegat humano consilio, futuri damni propulsandi? Forte sibi licere existimabit a severis honestatis regulis paullisper discedere ut tantae utilitati deserviat? Atqui in talibus rebus, is inquiet cum Tullii adversario, aliud utile interdum, aliud honestum videri solet? Falso, disertissimus Cicero respondit: nam eadem utilitatis, quae honestatis est regula... Qui hoc non perviderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus. Sic enim cogitans: *est istuc quidem honestum, verum hoc expedit;* res a natura copulatas audebit errore divellere; qui fons est fraudum, maleficiorum, scele-

(¹) Rosmini, *Filosofia del diritto*, tom. II, lib. 4, P. 2ª, sez. 1, P. 1, cap. 3, art. 7. *La Società ed il suo fine*, lib. 3, cap. 17.

rum omnium (¹). Actus moralitas habet in se ipsa intrinsecam sui rationem. Malum perpetuo malum erit, quamvis fiat ut sequatur bonum. Ideo mala non sunt facienda ut eveniant bona. Medicus igitur, prius quam arcanum detegat, non debet sane dispicere an ipse id agat bono vel malo animi proposito, sed utique an sit aliquod officium, quod is implere teneatur. Si hoc officium existit, clinici conscientia non debet profecto momento temporis anceps haerere ad sententiam proferendam: quidquid inde contigerit, quidquid ex ejus reticentia exitiosum sequetur, clinicus religioso cultu secreti officium implebit: quodcumque bonum, quantacumque utilitas ex secreti revelatione obveniat, non ideo arcani fidem franget. Moralitas non est sane mercatorius utilitatum calculus: et severa officiorum justitia humanitati praepollet, et benignis sensibus proculdubio praeponderat.

Opportuno sane loco Doctor Caffe venerandam jurisjurandi Hippocratici formulam memorabat. Adhuc ea sponsio solemnis, usitato more, apud plerasque gentes locum habet. Porro si ponas quem medicae laureae insignibus decoratum in studio Montis Pessulani, quo illud Hippocratis

(¹) Cicero, *De officiis*, lib. III, cap. XVIII.

jusjurandum vel hodie praestatur, qua fronte, amabo, quave sui animi conscientia medicus hic juramenti religionem prodere posset « Admis dans l'intérieur des familles, je jure que mes yeux ne verront point ce qui s'y passe et que ma langue taira les secrets qui me seraient confiés »? Seu ut divinus ille Coo insulae senex ajebat, *Juramento affirmo me, quantum viribus et judicio assequi possum, inviolatum hoc jusjurandum, hancque stipulationem praestiturum . . . Quae inter curandum visu aut auditu notavero, quae non decet enunciare, silentio involvam, et tamquam arcana illa aestimabo* (¹). At vero Medicus silentio involverit, et tamquam arcana aestimaverit quae inter curandum notavit, aut, ceu Galli ajunt, Medici lingua an secreta sibi commissa reticuerit eo die, quo ipse sui clientis matrimonio impedimento fuit, aperte enuncians secretum morbum abditiore fiduciae arcano sibi commissum? Medius fidius ingenue fatebor: cuncta Casistarum relaxata moralis doctrina, quam

---

(¹) Quoad juramenti Hippocratici praestationem in Germania vide Meibom, *Commentarius in jusjurandum magni Hippocratis*, nec non Meysener *Observat.* 78, et Den Hoff Dissertatio juridica, *De iis qui propter oblig. secret. non deteg*

Blasius Pascal horrendo fulmine perculit, exsecrando perjurio medicum solvere nullo modo posset, ne quidem sexcentis suis artibus *mentis restrictionum* sinuosis atque involutis. An vero quisquam hac nostra aetate jurisjurandi sanctimoniam minori religione quam apud Ethnicos sapientes auserit aestimare? De qua perbelle Cicero scripsit: nullum vinculum ad adstringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in XII tabulis, iudicant sacratae leges, indicant foedera, quibus etiam cum hoste devincitur fides, indicant notiones animadversionesque Censorum, qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando judicabant (¹). Aut quanti refert, amabo, si solemnis illa hippocratici juramenti stipulatio non praestetur ubique gentium? adeo ipsimet naturae medicae professionis insita atque innata visa fuit, ut supervacuum putaretur exprimere verbo quod re ipsa continebatur.

Ast vero diligentior ac penitior quaedam consideratio rem omnem conficiet. Supremus finis, laudeque dignissimus, quem sibi adversae sententiae patroni propositum habent, impediendi videlicet matrimonia tantam universae societati

(¹) *De officiis*, lib. III, cap. XXXI.

allatura noxam, consequi profecto potest quin Medicus familiaris ad secreti revelationem compellatur. Quid namque vetat ne conjugia, quae a sponsis vitio redhibitorio affectis tentari possint, consilio extraneorum Medicorum impediantur? Hi profecto constituerent novum quoddam *juratorum* (giurì) Collegium, cujus esset de sponsorum bona malave valetudine judicium ac veluti veredictum *(verdetto)* proferre. Nec existimamus medicos hosce salebrosum omnino opus, et arduum conari. Num agitur de vitio ingenito, vel morbo, ut ajunt, haereditario? Et tunc in promptu bis clinicis foret statuere de re, quam quilibet suapte cura posset comperire indiciis atque argumentis vel lippis et tonsoribus notis. Veretur forte quidam morbus in praesens, quo sponsorum alter laboret? Ast tunc qua ratione vel fronte asseri potest morbum illum non posse medicorum extraneorum consultatione constare, sed dumtaxat perfida foedissimaque cubicularis Clinici revelatione?

Fatebimur enimvero ingenii nostri tarditatem: sed nullo prorsus modo intelligere possumus quare adversariis nostris arrideat Medicos in consilium vocare ceu expertos vel peritos judiciarios in causis cum civilibus tum poenalibus, vel apud Comitatus securitatis de hominis vita,

aut Consilia Conscriptionis vel Revisionis militaris, at contra in causis nuptiarum juratorum Medicorum consilium respuere. Re enim vera si crimen *veneficii, procurati abortus,* aut *foeticidii* ceu Thusci eleganter ajunt, si crimen infanticidii aliaque id genus flagitia medicorum extraneorum consilio possunt in judiciis probari; si ad dirimendam haereditariae successionis controversiam haud censetur necessarium Medici familiae consilium ut de foetus vitalitate statuatur; si demum Comitatus securitatis, et conscriptionis militaris Consilia sat esse putant Medici extranei judicium ad diuturnitatem vitae probabilem definiendam, vel collecti civis ad militiae cingulum idoneitatem aestimandam; cur quod ad matrimonia attinet, Medici familiaris consilium necessario requiretur ab adversariis, quos fere delectat saeva barbaries illius Clinici conscientiae torquendae adversus sacrum et inviolabile suae professionis officium, ut sponsi eorumve conjuncti de morbo ingenito vel acquisito certiores fiant, quod equidem vel medici extranei facili parique ratione praestare possent? Hujusce argumenti tanta vis atque auctoritas nobis essa videtur, ut si in disputatione ista laboraremus, eoque res adducta foret, ut extremo conatu, summisque viribus esset enitendum, rem ad Triarios redisse diceremus.

Nisi quod insignis Galliae medicus, Pinellus adversus hanc institutionem, ut ajunt, *Jury Médical* sua tela effundere coepit. Atque illud in primis objicit quod ex hujusmodi systemate nulla boni eventus spes affulgeat. Ecquis, is inquit, sese submittere vellet huic inverecundae Medicorum pensiculatae investigationi? An non naturalis pudor valde repugnaret ad oculatam horum juratorum inspectionem provocare? Jam huic Pinelli argumento invicte responsum est, quod procul dubio ad hoc Medicorum consilium confugient quotquot sunt integrae ingenuaeque familiae, quarum interest suam stirpem in deterius non ruere, nec sterilescere sanguine impuro, tristemve progeniem jacere, neve inter tot gravissimas morborum aerumnas animam agere potius quam vivere. Nec una inter tot familias reperiri posset, quae vellet cautiones hasce utillimas parvi facere aut spernere, si consilii prudentia magis quam auri sacra fames, vel caeca stemmatum cupiditas, aut misera antiqui generis longive sanguinis vanitas matrimonio ineundo praeesset; quandoquidem agitur de altero ex tot gravioribus vitae negotiis, quod unum est coram legibus perpetuum ac indissolubile, a quo civilis societas praesertim stirpium perennitatem jure poscit, stirpium,

inquam, quae posthabitis hisce cautionibus, quas jam ediximus, sartae tectae et incolumes conservari nullo modo possunt.

Porro pudor non laeditur nisi obtutu oculorum obsceno et impudico: corporis inspectio facta coram duobus testibus expertis omnino propensionem ad lasciviam coercet: denique investigatio, de qua loquimur, est semper ejusmodi, ut honestatis et pudicitiae fines non egrediatur. Ad haec, cives omnes, nemine dempto, propter causam nec adeo nobilem procul dubio nec utilem, Medicorum Consilio revisionis subjiciuntur in militari delectu: diligentissima, nudo omnino corpore, inspectio fit: nec nemo unus rubore suffunditur, nec ullum hujusce investigationis pudet. Profecto hic nostrum non est aggredi ad disceptandum de sententia, quam obiter huc asseruit Doctor perillustris Caffe, nimirum longe praestantius fore si militiae nomen dare tenerentur tantum valetudinarii, qui peculiari ac obligatorio regimine medico convalescentes, graviori utique sumptu Ærarium publicum onerarent, tamen in bello pari virtute praeharentur ac illi qui virenti valetudine pollerent, eorumque interitus non adeo lacrymabilis aut exitiosus foret universae societati. Quidquid sit de moribus aetatis nostrae censendum, quantumvis in dies fere singulos

apud cultiores gentes pacis amor succendatur, bellique nomen magis magisque ingravescat, quaecumque sit tandem ars bellica recens, qua praelia longo intervallo dissita committuntur, caedesque atque ruinae tormentorum bellicorum fulminibus magis quam militum pectore inferuntur, plane affirmare non ausimus illam Caffe sententiam extra omnem dubitationis aleam positam esse. Quidquid tamen sit, e diverticulo in viam redeuntes semper fatebimur rectae rationi omnino convenire, ut quod, salvo pudore, pro militia fit, ubi de quibusdam milliaribus civibus agitur, qui militiae cingulum sumunt, infoecundas sterilesque vires ad generis conservationem augentes, faciendum quoque sit pro conjugiis, ubi decies ac decies centena hominum millia numerantur, qui eam vitae conditionem suscipiunt ad propagandum scilicet humanum genus comparatam. Nec ullo prorsus pacto intelligere nos fatemur quare Medicorum juratorum Consilium *(Jury Médical)* magis admitti valeat ad deligendum hominem firmae integraeque valetudinis, qui belli certamine quamplurimos homines interimere possit, quam ad illius sanitatem declarandam, qui non vita privare, sed imo donare futuram sobolem debeat, populique multitudinem angere numero, viribus, ac valetudine florentem.

Postremo, coronidis loco animadvertere liceat universam Medici secreti doctrinam, quam huc-usque adversus Pinellum pro viribus propugnavimus, amice componi cum ea sententia, omnium moralium philosophorum suffragio probatissima, quam nos ipsi expendimus, pluribusque argumentis firmavimus in nostro Tractatu *De Medici Secreto*, sect. 5, §§. 354-357, videlicet secreti legem cessare, et imo revelationis officium urgere quoties damnum cuipiam instet vel impendat, et is qui periculum secreto novit, possit, revelando, ab ejus capite illud propulsare. Sanctissima plane sententia, quam perbelle docuit summus Aquinatis doctor, atque ex ejusdem schola theologi omnes et morum magistri derivarunt: nos ipsi sacra illius cognationis lege firmavimus qua Natura homines omnes devinxit. Porro ejusmodi videtur esse Medici conditio in subiecta quaestione: is recte novit gravissimum damnum impendere alteri sponso ex conjugio, quod jam mox est a suo cliente contrahendum secreto morbo laborante. Nihilo tamen secius utraeque sententiae facillime ad concordiam adducuntur.

Moralis illa philosophiae doctrina pro certa ponit hypothesim *damni necessarii, indubitati*, quod quispiam paratissimo animo alteri inferre minatur *facto illicito, inhonesto, injusto* ac

flagitioso: vel ipsemet Aquinatis doctor aperto agit *de homine a morte injusta, vel calumnia liberando*. Tunc equidem is, qui hujusmodi damnum alii inferre intendit, eo ipso quod nullum habet jus id faciendi, si mihi tale propositum arcana fide committat, nec ipse jus adquirit erga me ut arcanum silentio involvam, ac proinde nec ipse officium subeo, nec teneor ad secreti fidem servandam. Atque si ex revelatione secreti damnum aliquod oriatur, ipse argui illius noxae nullo jure possum, quoniam, juxta exploratam juris axiomata, non is intelligitur damnum pati, qui suamet culpa id sentit. At ex adverso se res habet in proposita Medici quaestione. Ejusdem cliens qui conjugium contrahere intendit, quamvis ipse mala valetudine laboret, rem illicitam profecto non agit, injusto aut flagitioso negotio certe non vacat: is utitur jure suo, nullaque proinde injuria neminem afficit: agitur una quaestio valetudinis magis minusve integrae, nec jam justitiae aut honestatis. Praeterea et illud est animadversione dignissimum ad immensam utriusque hypothesis disparitatem magis demonstrandam, quod ea Ethicorum sententia toties locum habet, quoties contingat nullam omnino aliam suppetere rationem, qua alter, cui periculum instat, liberari queat, praeter unam secreti revelationem; at

contra perspicue demonstravimus in subjecta Medici quaestione aliam sane praesto esse rationem impediendi conjugii, consilium nempe Medicorum extraneorum, juratorum vel expertorum munere veluti fungentium, excepto Clinico cubiculari, tum propter officii Secreti sanctitatem, cum propter nobilissimam artis medicae dignitatem.

Post longam navigationem vela contrahamus. Systema a doctore Caffe propositum strenueque propugnatum, instituendi Medicorum Consilium, vel, ut ajunt, *Jury Médical*, dempto Medico sponsorum valetudinario, ut de vitio matrimonii redhibitorio statuatur, censenda est sapientissima institutio, universarum cultiorum gentium legibus et moribus probanda: quippe quae definiri jure merito potest perapta ac justissima compositio, et veluti syncretismus quidam inter sanctum medicae professionis officium, secreti legem, et Rei Publicae bonum, nec minus sacra civilis societatis jura. Ita sane civium singulorum, et universitatis politicae jura aequa lance penduntur, et amice conjurant. Huc redibit semper sapientioris ac splendidioris doctrinae formula, ad quam universa Morum et Juris Philosophia possit pervenire.

J. De Gioannis.

Praeclarissimus prof. Puccinottus haec mihi rescribebat:

Stimatissimo sig. Professore

31 ottobre, 69 da Firenze

La lode dei lodati è un dolce bocconcino che non si rifiuta mai. Non solo accolgo, ma la ringrazio cordialissimamente della sua dedica, e mi auguro di poternela retribuire, ove io qualche nuova cosa ristampassi; benchè la mia età me ne schiacci sempre la voglia. Non c' era bisogno ch' Ella mi usasse anche la cortesia di mandarmi copia della sua elegantissima epistola prima di darla in luce. Ma giacchè lo ha fatto, mi permetta che io le dica un mio parere sulle ultime parole di essa, cioè da quel pessimus *fino all'* optimus medicus forensis. *Sono due esagerazioni che non ponno esser credute; epperò ci scapiteressimo ambedue.*

Ella però quanto alla sua Epistola faccia il piacer suo, ma dove la vorrei assolutamente immutabile sarebbe nel credermi

suo devotissimo e obbligatissimo

F. Puccinotti.



L. 1, 50



